



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Solitudo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A mascunt. Videt Pelecanus ignem, cujus non ignorat vehementiam, audacter accedit, ardorem in membra singula intolerabili cruciati penetrantem sentit, neq; loco dimovetur: exurit pene tota, neque tantillum quidem consernatur: patientissimaque constantia vigens, saluti filiorum intenta potius, quam suæ mortis genere omnium atrocissimo conficitur, tanta in ea charitas, tantus amor, tanta vis pietatis elucescit: & quispiam audebit eam stuporis infimulare, & male feriatam avem appellare? Subit ad hanc sententiam Arsinoes recordatio, quæ à Ptolemæo fratre insidiis & fraude decepta, cum percussores in duos filios impuberes immisos à fratre conspiciata eslet, complexa eos ad se fugientes, ea parte qua vulnera filiis intendebantur, diu corpus suum cædendum opposuit, multaq; ita vulneribus saucia, eorum tamen saluti consulere non potuit: illi enim in matris gremio inter oscula ipsa truculentissime trucidati sunt. Quod si Pelecanum simili casu sese morti objicientem, insipientem appellaverimus, longe quidem insipientiorem Arsinoe dicemus, quæ ita pro filis trucidari pateretur: cum præsertim ipsa non ad mortem, non ad vincula, sed ad nuptias & regni successionem à Ptolemæo deposceretur. Sed tantum abest ut vel Arsinoe vel Pelecanus sint imprudentie **B** damnandi, ut omnium consensu merita, hoc est, ingenti laude, ob incomparabilem, quam omnes admirentur, charitatem minime fraudandi esse judicentur.

Arsinoes
pietas.

MISERATIO. CAP. VIII.

SEd enim nostri quoque cum Aegyptiis sacerdotibus in hoc pingendi genere consentientes. Pelecanum pro miseratione ponunt, Assertoris nostri hieroglyphicum in summa cruce statuunt, qui nos sospitaturus, atrocissima torqueri morte voluerit. Agnoscit & Eucherius Pelecanum pro Christi symbolo, quamvis Hieronymus tradit eam avem pullos suos rostro percussu interficere, pœnitentem mox factum, nido in ipso per triduum lugere, postremo seipsam graviter vulnerare, & sanguinem suum super filios effundere, quo illi perfusi reviviscant: quod alii vident. Sed quod eam alitem, ut etiam aliis plerisque persuasum est rostro pectus dissecantem pingunt, ut ita suo sanguine filios alat suos, ab Aegyptiorum historia valde alienum est: illi enim Vulturem tantum, uti suo diximus Commentario, id facere tradiderunt, neque non, ut paulo ante dicebamus, Phœnicem, sed hunc non pietate adductum, uti vultur, sed fato ita coactum suæ consulere posteritati. Sunt & mutua filiorum officia, qui parentibus vicem reddunt, & escam fameſcentibus subministrant: verum iis quæ à parentibus in eos proficiuntur, haudquaquam paria. Quod vero Celsus persuasum facere nititur, eos humanum genus superare pietate, Adamantius hæc ab iis geri natura tantum ducere proficitur.



11 Psal. 101.

Pelecanus
Christi
symbolum.

SOLITUDO. CAP. IX.

NOstræ autem sacræ literæ per hieroglyphicum Pelecani solitudinem interpretantur, cujus factum se esse similem Davides canit: quia scilicet errabundus tunc per solitaria diffugiebat loca, qui Saulis Regis indignationem evitaret, quod ut apertius explicaret, nycticoracis etiam similitudinem adject, qui quidem non luce, sed tenebris in comparandis vitæ suæ necessariis plurimum fruitur.

psal. 101. 5. 7.

DE VULPANSERE. CAP. X.

SEd ne longius ab hac in filios charitate discedamus, insigne illud quoque exemplum incomparabilis amoris est, quod à Vulpanſere præſtatur.

FILIUS. CAP. XI.

Filium, ut inquit Horus, ut alii, affectum in filios, scribere si vellent Aegyptii sacerdotes, Vulpanſeris hieroglyphicum faciebant Ales hæc, ex Anserum genere, qua lautiores epulas non no-

Hh

rat